



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Coloniæ, 1723

XV. Quòd gratia devotionis humilitate, & sui ipsius abnegatione acquiritur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

Etenim licet tanto desiderio tam specialium devotorum tuorum non ardeo , tamen de gratia tua , illius magni inflammati desiderii desiderium habeo , orans & desiderans , omnium talium fervidorum amorum tuorum participem me fieri , ac eorum sancto confortio annume rari.

C A P U T X V .

*Quod gratia devotionis humilitate &
sui ipsius abnegatione acquiritur.*

V O X D I L E C T I .

1. **O** Portet te devotionis gratiam instanter querere , desideranter petere , patienter & fiduci aliter expectare , humiliter conservare , studiosè cum ea operari , ac Deo terminum & modum supernæ visitationis , donec veniat , committere .

Humiliare præcipue te debes , cùm parum aut nihil devotionis interius sentis ; sed non nimirum dejici , nec inordinate contristari .

Dat sæpè Deus in uno brevi mo-

368 *De Imitatione Christi*
mento , quod longo negavit tem-
pore.

Dat quandoque in fine , quod in
principio orationis distulit dare.

2. Si semper citò gratia daretur ,
& pro voto adesset , non esset infir-
mo homini bene portabile.

Propterea in bona spe , & humili
patientia, expectanda est devotionis
gratia. Tibi tamen & peccatis tuis
imputa,cum non datur , veletiam
occultè tollitur.

Modicum quandoque est , quod
gratiam impedit & abscondit ; si ta-
men modicum , & non potius gran-
de dici debeat, quod tantum bonum
prohibet.

Et si hoc ipsum modicum vel
grande amoveris,& perfectè viceris,
erit,quod petisti.

3. Statim namque ut te Deo ex
toto corde tradideris , ne hoc vel illud
pro tuo libitu seu velle quæsie-
ris , sed integrè te in ipso posueris ,
unitum te invenies,& pacatum:quia
nil ita bene sapiet & placebit , sicut
beneplacitum divinæ voluntatis.

Quis.

Quisquis ergo intentionem suam simplici corde sursum ad Deum levaverit, seque ab omni inordinato amore, seu displicantia cuiuslibet rei creatæ, evacuaverit, aptissimus gratiæ percipiendæ, ac dignus devotionis munere erit.

Dat enim Dominus ibi benedictionem suam, ubi vasa vacua invenerit.

Et quantò perfectius infimis quis renuntiat, & magis sibi ipsi per contemptum sui moritur, tantò gratia celerius venit, copiosius intrat, & alius liberum cor elevat.

4. Tunc videbit, & affluet, & mirabitur, & dilatabitur cor ejus in ipso, quia manus Domini cum eo; & ipse se posuit totaliter in manu ejus usque in sæculum. Ecce sic benedicetur homo, qui querit Deum in toto corde suo, nec in vanum accipit animam suam.

Hic in accipiendo Sacram Eucharistiam magnam promeretur divine unionis gratiam, quia non respicit ad propriam devotionem &

370 *De Imitatione Christi*
consolationem , sed super omnem
devotionem & consolationem . , ad
Dei gloriam & honorem.

C A P U T X V I .

*Quod necessitates nostras Christo ape-
rire , & ejus gratiam postulare
debemus.*

V O X D I S C I P U L I .

1. **O** Dulcissime atque amantissi-
me Domine, quem nunc de-
votè desidero suscipere , tu scis infir-
mitatem meam , & necessitatem ,
quam patior : in quantis malis & vi-
tiis jaceo; quam sèpè sum gravatus,
tentatus, turbatus & inquinatus.

Pro remedio ad te venio, pro con-
solatione & sublevamine te depre-
cor.

Ad omnia scientem loquor , cui
manifesta sunt omnia interiora
mea , & qui solus potes me perfectè
consolari , & adjuvare.

Tu scis , quibus bonis indigeo præ
omnibus , & quam pauper sum in
virtutibus.

2. Ecce